

CORDUS (Euricius)

CARMINA VARIA (982 vers)

EXPIATORIUM HESSIATICORUM FONTIUM (342 vers)

HELII EOBANI HESSI IN RICII CORDI NOCTURNAM PERICLITATIONEM IOCUS.

v.1 Musicus Hessiaco dum Ricius errat in agro,
 2 taliter exorsus dicitur esse loqui.
 3 "Dii patrii, indigetes Musae, servator Apollo,
 4 nocte sub hac misero dicite qua sit iter."
 5 Nec mora clamanti caput obruit unda Poetae
 6 dumque avide potat Phocidos unda fuit.
 7 Quodque vides patriis invenit carmen in undis,
 8 i nunc et Musas nos quoque habere nega.

RICII CORDI NOCTURNAE PERICLITATIONIS
 HESSIATICORUM FONTIUM NYMPHIS SACRUM EXPIATORIUM POEMA.

v.1 Humida declinans pluvii sol cornua capri
 2 sub Ganymedeas adproperabat aquas.
 3 Jamque novum Janus pridie introduxerat annum
 4 et sua magnates dona dedere manus.
 5 Ardua festino cum me pede causa coegit
 6 patria per gelidas quaerere tecta nives.
 7 Liquimus inviti dulces cum conjugem natos,
 8 parsque prior vitae mansit in urbe meae,
 9 primus apud Rufum prono me vesper olympo
 10 prendit, ad instructas cum sedet ille dapes.
 11 Mox omnes patuere fores, jussique ministri
 12 optima de plenis vina tulere cadis.
 13 Et quamvis vario splendebat mensa paratu
 14 et Libycis fuerant aemula fercla fabis,
 15 plus tamen auditu est quam gustu accepta voluptas.
 16 Threiciae rebar plectra sonare lyrae,
 17 tam facundas erat vates, qui longa suavi
 18 tempora in exiguas abscidit ore moras.

19 Sic, ubi in Hyblaeis redolet vindemia campis,
 20 e liquido manant aurea mella favo.
 21 Qui doctum, integrum, facilem, humanumque videre
 22 expetis, et celebrem relligione virum,
 23 quem non vana trahit mirantis opinio vulgi,
 24 qui cupiat tacitos claudere posse dies,
 25 hoc intra hospitium, quod Delphica ut antra frequentat,
 26 cum canit ex adytis alter Apollo suis.
 27 Et tua ne dubius vestigia sevocet error
 28 (non est vulgari semita trita pede)
 29 secreta in tacito est sedes post templa recessu,
 30 nobile Daedalii paene laboris opus.
 31 Prima docet facies tranquillam exquirere vitam,
 32 idque tribus verbis parvulus asser habet.
 33 Hic trahe pendentem declivi ex culmine funem,
 34 et dabit inter nos tinnula nola sonos.
 35 Non fucata genas reserabit limina Thais,
 36 horret enim sanctus talia monstra locus.
 37 Non vetus usque adeo sincerum Vesta pudorem
 38 continuo fovit, quam domus illa, foco.
 39 Sedulus occurret puer, exsertusque fenestra
 40 te, quare venias, et quis, et unde, rogat.
 41 Tunc tua prospiciens sustollas lumina, cernes
 42 monstrantem dignis cuncta patere trabem.
 43 Ingressus caveas ne musica sacra profanes,
 44 ansis quem posset Phoebus amare vide.
 45 Non optata magis dabis illi nuntia, quam quae
 46 impia Capnionem monstra domasse ferunt.
 47 Hunc magnum laudato virum, primumque Poetam
 48 plurima victorem saecla valere jube.
 49 Sic tibi se facilem Rufus praebebit amicum,
 50 inque sodalicium te leget inde suum.
 51 Pictus habet paries multorum insignia vatium
 52 quos tali junctos semper amore colit.
 53 Hic pia serpentem crepitante ciconia rostro
 54 enecat, haec volucris te Spalatine refert.
 55 Illic complicitis Rubiani cornua loris,
 56 et quae sunt alia singula parte patent.
 57 Praecipue condens caput inter nubila cygnus
 58 Hesseni merito tradita signa viro.
 59 Quae propter, quota pars, horrens subrepat et hystrix,
 60 et lenta triplex laurea fronde viret.
 61 Quid cum ridiculo portento Ruffe ? Quid inter
 62 Ledaeas turpis noctua quaerit aves ?
 63 Sicne tua in nostras errat sententia nugas,
 64 ut tantum juvenem nomen habere putes ?
 65 Non facis ut mereor, sed ut urget amica voluntas,
 66 iudicio longe sum minor ipse tuo.
 67 Quo feror, et quid in haec ambagum syrmata labor ?
 68 Praestat ad inceptos vertere plectra modos.
 69 Postera lux oritur, canis succinctus in arvis,
 70 Jam jacta dubias sub nive quaero vias.
 71 Qualiter implicitus praedura fronte juvencus,
 72 aspera fagineum per juga tractat onus.
 73 Ut levis adversas diffindit cymba procellas,
 74 vixque citae contis acta resistit aquae.

75 Horridus incubuit Caurus, turbataque caecis
76 surripuit medium nubibus aura diem.
77 Undique tristis hiems furit, et penetrabile frigus,
78 saevaque terribili turbine flabra sonant.
79 Nulla mihi apparet quae notos semita calles
80 monstret, inaccessis flebilis erro locis.
81 Per colles, vage Nesse, tuos, quosque invius alto
82 vertice subjectos Horsulus urget agros.
83 Interea occiduum sol praecipitatur in aequor,
84 nocturna errorem duplicat umbra meum.
85 Et quamvis plenae coierunt cornua Phoebes,
86 visa tamen nulla lux mihi parte fuit.
87 Tecta latet Pleias, tardus sua plaustra Bootes,
88 abdit, et ad fixum neutra stat ursa polum.
89 Quod sequar ignoro mundi latus, unus ubique,
90 vultus, idem toto nigret in orbe chaos.
91 Saepe retroflexis eadem in vestigia gyris,
92 mille per anfractus, duraque tesqua feror.
93 Tristia non solitos ceperunt lumina somnos.
94 Nulla potest fessis artubus esse quies.
95 Invento querulus trunco quandoque resedi,
96 quis velit in niveum sternere membra gelu ?
97 Quam male tunc timui, ne denso ex monte venirent,
98 hoc fera sectantes proelia mense lupi.
99 Cum vel dira fames crepitantia viscera torquet,
100 vel lasciva ferox inguina vexat amor.
101 Parcite mansueti, silvestrem quaerite praedam,
102 non homo, sed prensus vestra sit esca lepus.
103 Lactea si quondam geminis alimenta dedistis
104 fratribus, immitem non mihi ferte necem.
105 Hospes ego advenio vester, non exterus hostis,
106 quae colitis colui parvulus arva puer.
107 Implevi eneris vestras vagitibus aures,
108 quam quoque fudistis vox mihi nota fuit
109 et mea vos soliti circum cunabula pasci
110 saepe fero placidam dente tulistis ovem.
111 Non ego tunc sumpto furibundus fuste sequebar,
112 sed qui sunt vobis invida turba canes.
113 Vos mihi surrepto saepe ansere, scitis, alebam,
114 cum rudis has agerem vimine pastor oves.
115 Tandem optata fugat longas matuta tenebras,
116 et rediens tardis mane rubebat equis,
117 cum refluum vidi sinuosa in valle Visurgum,
118 quodque, vetus, castrum de cruce, nomen habet.
119 Hic tua me fovit pietas humane Libori,
120 Pierio vates adnumerande choro,
121 omne, quod est veri. Exhibuisti munus amici,
122 hei mihi, quod similes non queo ferre vices.
123 Donec in hoc vegetans mihi corpore vita manebit
124 officii nolo non memor esse tui.
125 Quo mihi te longo vinctum conectis amore,
126 teque meo semper vivere corde facis.
127 Scilicet unanimes studio oblectamur eodem,
128 nemo potest nostram dissoluisse fidem.
129 Hinc montosa procul longinquis Hessia silvis
130 luminibus coepit sese aperire meis.

131 Heu, quantis illic nivibus jacet obruta tellus,
 132 quam multus caecum contegit agger iter.
 133 Non Riphaea putem tanto juga tegmine condi,
 134 quasque alias frigans despicit ursa plagas.
 135 Vix aliquis portans in opertam pabula caulam
 136 ante suas potuit rusticus ire casas.
 137 Omne gemit gravido nemus, et sub pondere nutat,
 138 horrisonus reboat per cava lustra fragor.
 139 Vix sua torpentes monstrabant cornua cervi,
 140 cetera contecta turba latebat humo.
 141 Quot tunc, quaeque miser mala, quanta pericla ferebam,
 142 testis erit vati diva Thalia suo.
 143 Quae mea difficili legit vestigia passu,
 144 succincto puduit turpiter ire sinu.
 145 Fit via vi, donec notas contingimus aedes
 146 pauper ubi est nobis sed sine labe pater,
 147 pauper ubi est nobis, inquam, pater, utpote nuper
 148 frigida persolvit debita fata parens.
 149 Quae veteres omni vixit sine crimine mores,
 150 inque pia duros simplicitate dies.
 151 Non formosa quidem, non molli dedita vitae,
 152 sed frugi, et multi plena laboris anus.
 153 Non tinctis consueta togis, vili obstita lino,
 154 constrinxit tremulum lanea zona caput.
 155 Quae modo post longae per plurima taedia vitae
 156 aetherea felix pascitur umbra dape.
 157 Quaeque videt nostros devexo e vertice casus,
 158 et nullis stabilem rebus inesse fidem.
 159 O ter amata magis quam sunt mihi limina, si jam
 160 ad solitos pensum carperet illa focos.
 161 Et jam nata novo mihi frangeret ova butyro,
 162 me quoque dilectum diceret esse suum.
 163 Non ego quos nollem fratres lallare viderem,
 164 nec foret in dulci caeca noverca domo.
 165 O invisam mihi post has, fugiendaque sedes,
 166 haec postquam nostras bestia perdit opes.
 167 Sedula quas multo mater sudore paravit,
 168 et natis voluit quas superesse suis.
 169 Care vale genitor, Thuringam rursus ad oram
 170 avocor, invitae hic ego duco moras.
 171 Candidiora trahunt nostrum solacia pectus,
 172 delicias video deperiisse meas.
 173 Vix iter ingredior, pluviam cum Juppiter auram,
 174 colligit, et largo desuper imbri ruit.
 175 Alta liquescit hiems, gelidus de montibus humor,
 176 in cava praecipites devia volvit aquas.
 177 Fluctisoni rapidis crescunt torrentibus amnes,
 178 magnaue sunt parva flumina facta mora.
 179 Quantus erat numquam insolito fremitu Edera fluctu,
 180 et superat pontes Fulda Lanusque suos.
 181 Omne natat pratum, natat omnis gurgite vallis,
 182 ignotas praebent piscibus arva domos.
 183 Quid faciam, mediis clausus circumfluor agris,
 184 quamque nives nuper, jam tegit unda viam,
 185 turbida pube tenus dubio seco flumina gressu,
 186 ignaros nequies retro referre pedes.

187 Tanta repentinus fudit cataracta tumultus,
 188 quale solet fracta surgere nube fretum.
 189 Horreo et ima repens penitus tremor ossa pererrat.
 190 Et timida arrectae stant mihi fronte comae,
 191 cum subit illius crudelis imago pericli,
 192 quod me sub Stygias paene dedisset aquas.
 193 Sed quod triste pati fuerat, meminisse juvabit,
 194 felix qui casus praedicat ipse suos.
 195 Sol fugit, et praeceps atris nox irruit alis,
 196 humida sideream contegit aura plagam.
 197 Post bis quinque dies totas subitura tenebras,
 198 falcatum ostendit vix mihi luna globum.
 199 Cum nimis ardebam vicinum attingere pagum,
 200 duxit in illaetum me malus error iter.
 201 Auctus ubi ejecit diffusum Sualma fluorem,
 202 et patulo vetitos amne rigavit agros.
 203 Altus ibi vortex sinuoso circuit arcu,
 204 perdiderat multos ista vorago viros.
 205 Huc feror, et tumidas proclivis labor in undas,
 206 obruit absorptum saeva procella caput.
 207 Nequiquam feriunt fortes luctantia fluctus
 208 brachia, non dulcem planta ministrat opem.
 209 Scilicet haerebat suppresso sarcina tergo,
 210 et laxi impediunt obsita membra sinus.
 211 Quo magis obnitor, tanto est contrarius aestus,
 212 meque sub insanas altius urget aquas.
 213 Jam poto oppletus fluvio, et non utile pondus,
 214 defluo, nil superest quam mihi triste mori.
 215 Quam tunc non merui veniam pia numina posco,
 216 tunc grave, sed sero, tartara nomen erant.
 217 Sera mihi subiit quaerendae cura salutis,
 218 vae sua qui moriens crimina flere putat.
 219 Sic ubi semanimis resupino volverer ore
 220 esset et in primis languida vita labris.
 221 Forte dabat quemdam fundi mihi glarea palum
 222 nexit ad hunc lintrem rusticus ante suam.
 223 Ferrea non adeo fabrilis robora forceps
 224 mordet, ut injecta prenditur ille manu,
 225 sic vacuus stringit compertam polypus escam,
 226 sic volucrem clauso milvius ungue tenet.
 227 E summo madidum tandem caput amne ferebam,
 228 vix modicum turgens aera pulmo trahit.
 229 O deserta domus, quae me discedere flebas.
 230 Et reditum exspectas exul inopsque meum.
 231 Ut geminos taceam, carissima pignora, natos,
 232 et quod adhuc clausum viscera pondus habet,
 233 tu mea praecipue conjunx praecordia tangis,
 234 heu, nulla posthac conspicienda die,
 235 Namque tuae fidei, fidique recordor amoris,
 236 et quanto ante alias casta pudore nites.
 237 Qua quoque continue me sedulitate colebas,
 238 quam fueras jussis officiosa meis.
 239 Et quod Pierias inter versata sorores
 240 miscueris faciles, me recinente, modos.
 241 Haec mea si scires, certe infortunia fleres,
 242 proque tuo malles fata subire viro.

243 Sic mihi non semel est multis perspecta voluntas,
 244 quam ficto solita es non simulare dolo.
 245 Saepe mihi dixti, non hanc sinat Atropos horam
 246 qua videam funus, care marite, tuum.
 247 Quid modo si cupias illud te posse videre ?
 248 Cum putrens avidis piscibus esca fluet ?
 249 Tunc tepido moribunda toro mihi lumina velles
 250 clausisse, et tristem supposuisse manum,
 251 tunc tibi lugubris faceret solamina pompa,
 252 quae mea ad effossam corpora ferret humum,
 253 ut noto positum posses lustrare sepulchro,
 254 nudaque post aliquot colligere ossa dies.
 255 Aspiceres primo signatam in limine calvam,
 256 hoc fuerat dicens conjugis ante caput.
 257 Quis tibi tunc animus, quibus affectabere curis,
 258 cum veniet mortis nuntia fama meae ?
 259 Certe equidem nimio sides stupefacta dolore,
 260 frigidius gelida tum nive pectus erit.
 261 Mille dabis planctus, totidem et suspiria duces,
 262 dulce nihil dices, quam tibi posse mori.
 263 Haec quicumque ferēs primus mala nuntia, differ
 264 dum gravis excudat quod gerit alvus onus,
 265 ne male maturum subito enitatur abortum,
 266 et pereat crudus cum genitrice puer.
 267 Tu quoque difficiles quae jam retrograda partus
 268 influis, infesto sidere, parce Venus.
 269 Quae tenues sustentet opes, quaeratque supersit,
 270 orba suum satis est pignora flere patrem.
 271 Nulla quidem vitae mihi spes restare videtur,
 272 undique propensam conspicio esse necem.
 273 Vel mea turbatis astris sic fata trahuntur,
 274 vel vindex justis sic jubet ira dei,
 275 crediderim infaustam (quae jam nunc quarta minatur)
 276 hebdomadem casus sic mihi ferre meos.
 277 Certae etenim superis virtutes orbibus insunt,
 278 quae varias nobis dant adimuntque vices.
 279 Sed tamen omnipotens residet super omnia rector,
 280 cunctaque divina temperat astra manu.
 281 Si volet hic, potis est praesens auferre periculum,
 282 meque sub optatae sistere tecta domus,
 283 quod deus ut facias, te per tua quinque precamur
 284 vulnera, per sanctam, fortia signa, crucem,
 285 per te, qui mundi salvator ubique vocaris
 286 jam, rogo, te verum nomen habere doce.
 287 Tu modo virgo parens querulo succurre clienti,
 288 quaque soles omnes me pietate juva.
 289 Quae tenerum lactas enixa puerpera Christum,
 290 angelico circum dulce canente choro.
 291 Te quanto videas Deus exaltavit honore,
 292 ut miseris quondam prompta patrona fores.
 293 Tu quoque spiculifer properum fer athletea levamen,
 294 cujus agunt festum crastina sacra diem.
 295 Si quod habes felix inter diva agmina numen,
 296 me modo me precibus contueare tuis,
 297 quod mihi si dirae est mortis gustandus amaror,
 298 non ruat in Stygium flebilis umbra chaos.

2 legitimum thalami nemo peregit opus.
 3 Ergo tuum numquam cum laude fatebere patrem,
 4 et mala te genuit, me nisi teste, parens.

EPITHALAMIUM IN NUPTIAS HELII EOBANI HESSI ET THRINAE SPATERANAE
 A RICIO CORDO AEDITUM

E_2 v.1 Dic intonse deus, dic vaticinator Apollo,
 2 quandoquidem sacri tibi sunt tutela poetae,
 3 quae tamen haec inopina tuo connubia vati
 4 causa tulit ? Quae te praesente potentia victo
 5 libera compressit dominantibus ora capistris ?
 6 Incipe, colloquiis sunt apta silentia nostris.
 7 Posthabita quondam desertae Phocidis ora,
 8 Teutonicam doctae terram invisere Sorores
 9 translaturae in eam quae multos Italis annos
 10 invidia, et Graecus sacra se penes abdidit haeres.
 11 Jamque peragratis vasti regionibus orbis,
 12 qui patet a rapido trans Istri flumina Rheno,
 13 nulla magis placuit tellus quam plena virentum
 14 Hessia silvarum, lenes ubi vallibus amnes,
 15 pallentesque altis errant in montibus umbrae
 16 hic multus gemino Parnassus vertice surgit,
 17 suntque caballinum similitantia flumina fontem,
 18 quaeque sacrae posset Permessidos unda videri.
 19 Sed dubium ex multis quam vellent sedibus unam,
 20 an maneant bellax ubi parvam Carolus aedem
 21 struxerat, an quaerant famosum Castore montem.
 22 Dum dubitant, viridis longinqua cacumina Gosi
 23 prospiciunt, et quas vitreus secat Aedera silvas.
 24 Hic placet ante alios locus, hoc considerare tractu
 25 accelerant, medius stridet concentibus aer.
 26 Forte susurrantem puer hic Eobanus ad undam
 27 arboreo coepit placidos sub tegmine somnos
 28 quem cum virgineus chorus aspexisset (ut esset
 29 insignis facie juvenis) miratur amatque
 30 et molli fovet amplexu, castisque labellis
 31 mordet, ut Ascraeum pastorem exceperat olim.
 32 Tum sic orsa loqui musarum maxima dixit,
 33 laetare, exsulta, gaude, felicibus horis,
 34 nate puer, tanto quem nos dignamur honore.
 35 Ausoniam multis decoravi vatibus oram,
 36 tu nova Germanae modo fies gloria genti,
 37 tanta feresque puer notae praeconia famae,
 38 multi quanta senes post ultima funera vellent.
 39 Jam patulis succede adytis, novus esto sacerdos,
 40 quantumcumque sitis largis te prolue lymphis.
 41 His puer auditis divinum in corda furorem
 42 concipit, et longo musarum afflatur amore,
 43 paeneque depulsa secum ratione profatur.
 44 "O mihi dilectae et dulces super omnia musae,
 45 sola meae requies, sola et solacia vitae

46 quae tanta esse potest alto sub sole potestas
47 quae me viventem vestris amplexibus umquam
48 subtrahat ? Atque illam depellat pectore curam ?
49 Vos ego Caucasei sequerer per devia montis,
50 perque procellosos quot habent maria omnia fluctus,
51 felix hic amor est, et delectabilis ignis
52 qui nullos laqueos, nullos sibi vendicat enses.
53 Hoc ego perpetuum caelebs ardebo, meumque
54 nulla puellarum violabit forma pudorem.
55 Nil Paphiae possunt faculae, et quodcumque Dione
56 numen habet, volucer tua rideo tela Cupido,
57 tot licet in terris homines. Tot in aethere divos
58 laeseris, et victo Phlegethontis rege triumphes.
59 Non nisi degeneres animos, et mollia figis
60 pectora, quae spreta gravis urget inertia laude,
61 seque tuis ultro praebent fodienda sagittis.
62 At frugi quicumque vir est, te vitat et odit,
63 et torsum objecto telum thorace repellit.
64 Improba caede venus, nihil in me juris habebis,
65 tu tenerae, exitium, crux, interitusque juventae.
66 Forte haec audierat praesens dea et ipse Cupido
67 astitit, et limo distorsit lumina visu
68 (namque serenata posuit velamina fronte)
69 maternosque notans vultus, quae jussa capessat
70 haeret, et ambo levi disponit tela pharetra.
71 Tum Cytheraea tuum in caput haec temerarie jactas
72 verba, dabis dignas olim tute improbe poenas.
73 Experiere quidem (veniat modo fortior aetas)
74 quid mea jura valent, natiq̄ue Cupidinis arcus.
75 Ut reliquos taceam qui torquent sidera, divos,
76 quid summo majus Jove vastus continet orbis ?
77 Hunc tamen in brutum se transformare coegi,
78 et fulvam fieri pluviam, caeloque relicto
79 agrestes habitare casas, nec saeva timebam
80 fulmina, tu evades nostras impune sagittas
81 jam tuum erit filii validos tentare lacertos,
82 ut doceas quam sit mea fortis ubique potestas.
83 Ex hoc insidias meditatus tempore vati
84 plurimus oppressa deus in cervice pependit.
85 Quo magis excutitur tanto vehementius urget,
86 et pare vix alii turbavit corda furore,
87 quamvis nocturnum patitur Babylonius ensem
88 Pyramus, et tumidam sidit Leander in undam.
89 Testis erit Canace, testis Foenilia, testis
90 Flavia, mutato quae Fulvia nomine fertur,
91 dum se Fundinum solatur et alta revellit
92 spicla puer tostas penitus populata medullas.
93 His duo jam studiis transegit lustra, misertus
94 dum deus iratam cupiens placare parentem
95 "Cara vides (inquit) genitrix ut saucius ille
96 infelice diu vates flagravit amore ?
97 Saevos mitte animos, posito mitesce furore
98 paeneque consumptis requiem concede medullis.
99 Non culpam superent poenae, satis acre rependit
100 supplicium, victus Paphium modo numen adorat,
101 teque meoque fatens nihil esse potentius igne,

102 digna Dionaei cecinit magnalia sceptri.
103 Quod mea si nimium te poscunt vota, nec illum
104 vis sine sollicitis tranquillum vivere curis,
105 tunc peto si qua tui superest dilectio nati
106 non adeo infausto miser amplius ardeat aestu.
107 Dignus enim juvenis cui regia detur amatrrix,
108 qui nitidum posset divarum intrare cubile.
109 Maxima divino debetur gloria vati."
110 Filius haec, contra loquitur pulcherrima mater :
111 "Ipsamet hoc ultro statui, mi gnate, quod optas.
112 Et modo (ne dubita) fiet, desiste precari.
113 Vidi ego et ingentem sum commiserata dolorem
114 sum pacata ferae jacet indignatio mentis,
115 Jam satis in tali sudavit athleta palaestra.
116 Insignem feret ille rudem, dabo magna peractae
117 praemia militiae, mea tu modo jussa capesse.
118 Alta et dives opum media domus eminent urbe
119 (angelicam dicunt arcem) notissima sedes
120 quam decorat sata patritia de stirpe propago
121 longaque cerarum series, et nobile stemma.
122 Hanc tenet ingenua, et longe pulcherrima virgo,
123 caelicolas aequare potens et vincere nymphas,
124 quae veluti supero meus emicat aethere splendor
125 ante alias fulgens praestanti heroidas ore
126 sola per immensam spectabilis ambulat urbem
127 tot sperata procis conjunx, quos illa maritos,
128 legitimasque perosa faces, jam caelibe querit
129 virginitate frui, et casta vestalis in aede
130 vivere, seque alto puram servare tonanti.
131 Scilicet ergo illam, a teneris dum cresceret annis,
132 usque meae effinxere manus, talemque dederunt
133 formam, qua mecum Phrygiam certasset ad Idam
134 et Cnidia nostrum superasset in aede decorem
135 non sic. Praeveniam, coeptumque iter intercludam.
136 Nubilus Hessiaco tradetur sponsa poetae.
137 Hae tuae erunt posthac operae, hanc jam suscipe curam.
138 Fac pare concaleant flamma, tibi sedula semper
139 adstabo comes, et tacitum inspirabo calorem.
140 Vade modo, atque citis praepes delabere pennis."
141 Dixerat, et sera solam sub nocte puellam
142 aggreditur, blandisque illi sic vocibus infit :
143 "Sicne tuam exerces formam, viridemque juventam,
144 virgineas inter mihi dilectissima turmas ?
145 Hocne juvat pacto sterilem traducere vitam ?
146 Num mea, quae cunctos rapiunt, tibi munera sordent ?
147 Utere concessis donis, tecumque viriles
148 concipe delicias, et quam sit magna voluptas
149 suppositis jacuisse toris operamque creandis
150 pignoribus dare, et in longaeva vivere prole.
151 Ignosco tibi jam quod sis huc usque jugalem
152 aspernata torum, et multos pertaesa maritos
153 quandoquidem tanto nullum dignabar honore,
154 qui te tam pulchra frueretur conjuge, sed jam
155 eximius venit praelustri nomine vates,
156 altivolum cujus decus utraque praedicat artos,
157 exoriensque cadensque jubar, quem docta juvenus

158 illinienda cedro recitantem carmina stipat,
159 longoque insequitur visu, et miratur euntem,
160 huic te non renuas sancto conjungere vinclo
161 consortem, et socio latus apposuisse cubili."
162 Talibus imbellem dictis inflectere mentem
163 coepit, et ignotas dare sub praecordia flammis.
164 Dura prius virgo lentae nunc aemula cerae
165 liquitur, ut gelido quae dudum stricta decembri
166 tellus occidui tepidam Zephyri accipit auram,
167 et verna induitur facie, et nova gramina fundit.
168 Tota in Apollineum fluitat liquefacta poetam,
169 cui placuisse studens sese lavat, expolit, ungit
170 compositosque decens crebro offert obvia vultus.
171 Atque verecundo subito suffusa rubore
172 comibus imbibitos ostendit nutibus ignes,
173 dumque potest avidis praesentem pascit ocellis
174 quem sola turbata domo noctuque diuque
175 cogitat absentem, et lacrimis suspirat abortis.
176 Nec minor interea juvenem calor urit, et alto
177 fervida corde ciet succendia, pristinus exit,
178 et novus intrat amor, feriente Cupidinis arcu.
179 Decantata prius jam sordet Flavia, sordet
180 et Metra, et quaecumque olim placuere puellae.
181 Una omnes superat tenet et praecordia Thryne
182 usque adeo, ut nulla divelli harpagine posset.
183 Sic paleam electrum trahit, immo ferrea magnes
184 robora, sic verno coalescit virgula trunco.
185 Omnis erat Thryne sermo et meditatio, et omnis
186 et cibus et potus. Thrynen exortus Eous,
187 occiduus Thrynen vesper, tempestaque noctis
188 hora refert, referunt brevis irrita gaudia somni.
189 Nec datur ulla quies, donec porrecta professus
190 frena momordit Hymen, inclinatumque jugali
191 cervicem implicuit nodo, desponsa puella est,
192 haeret in alterutris datus acceptusque vicissim
193 anulus articulis. Et mutua jura subarrat.
194 Hesso Thryna datur. Quid adhuc speratis amantes ?
195 Illa quidem vestros jam casses praeda refugit,
196 frustra indagatis frustra venabula fertis.
197 Jamque retardatis accedere visa quadrigis
198 in geniale dies sponsum sponsamque cubile
199 convocat, ignicomae spatiosa per atria taedae
200 Clarius assueto rutilantia lumina vibrant.
201 Munda repercusso splendet fulgore supellex,
202 et gentiliciis circumdatus undique signis
203 stat paries multumque tegit pavimenta tapetum.
204 Solemnes induta togas, Indosque lapillos
205 omnis adest clara procerum de stirpe propago,
206 ad lautosque hilari considit fronte catinos.
207 Miscentur variis amplae famulatibus aedes.
208 Ille laboratam Cererem, ille meraca ministrat
209 vina, graves alius mantilibus injicit orbes.
210 Quis numerare potest tanto splendentia luxu
211 fercula ? Tot lepores tot turdos attagenasque ?
212 Prosper ades fausto jam nunc pede magne Thalassi
213 festaque concelebra laeto convivium cantu.

214 Et tu qui timidam rapias de matre puellam,
215 nobilis Uraniae proles Hymenaeae, venito.
216 En ut uterque auspex deus adsit, et omnia claro
217 exhilaret vultu, veniunt risusque salesque,
218 totaque laetitiae plena est domus, et nova fundit
219 jubila, praecipue (quis enim hoc male verterit illi)
220 in tacito gavisu sinu vix plaudere Thryna
221 abstinet et tenui gelasinum inducere risu.
222 Non tamen ut cupiat parto catulire cubili
223 sed carum ut juvenem cupidis devinciatur ulnis
224 ut flagrans cordi cor imprimat, obvia figat
225 basia, et admisso tandem sermone fruatur
226 At tibi non eadem mens est, lascive marite,
227 nescio enim quid te jam dudum velle notavi,
228 quando morae impatiens porrectis irrita labris
229 oscula conferres nimis intentusque procaces
230 injiceres oculos, ut gallinaceus ales
231 uxori insurgit celeri fugit illa volatu
232 imminet ille salax et quassa circuit ala.
233 Tantane adhuc prurit petulantia ? Perfide, nescis
234 quo tuus hesternus cygnus sub nocte volabat ?
235 Cur tibi tunc missam poteris lacerare corollam ?
236 Sericaque insano disrumpere vincula dente ?
237 Sed modo ne pariam vestro nova jurgia lecto
238 conticeo. Vivas posthac venientibus annis
239 cautior, et stabili sociam complectere voto.
240 Tu modo odorifero nardo perfusa juvenis
241 pinguis a mensis surgentes sume puellas,
242 ducque sonora leves ad buxi carmina saltus,
243 nullae adsint curae, tetrici discedite mores,
244 exonerata tuum cervix deponere cucullum.
245 Et liceat sacro jam lascivire poetae.
246 Nil gravis hic nodus, nihil hic morosus elenchus
247 expedit, urbanis opus est salibusque jocisque.
248 Quare agite o quicumque sophi, quicumque magistri
249 (quos adeo celebres alma haec academia nutrit)
250 magnificos vestro decoratis honore paratos,
251 jam saltem este hilares tristemque exporgite frontem
252 omne suas curas habet et sua gaudia tempus,
253 et vos qui multi Germana per oppida vates
254 surgitis, et sacram meruistis carmine laurum
255 hoc una exsultate die, quo talia vester
256 vincla sodalis obit, credo haec solemnia vobis
257 Pierias dixisse deas, et numina Phoebi.
258 Tu qui vicinae colis ardua moenia Gothae,
259 tranquillam peragens sine sollicitudine vitam,
260 festa amicare toga, rubram cape, Rufe, tiaram.
261 Funde tuo, Publi, domino mera vina, gravesque
262 instrue perdices, conditamque infer anatem,
263 tu quoque cum docto Rubiano, candide Buschi,
264 quos modo celsa suo tenet Agrippina recessu,
265 si qua ferox vobis dabit otia Capniomastix
266 este coronati, plenos libate culillos,
267 vivite laeto animo, vester jam regnat Apollo.
268 Illud idem Hutteno faciat sata stemmate proles
269 fervidus Aonidum cultor, quocumque moretur

FUNEBRIS THRENODIA

IN MORTEM ILLUSTRISSIMI HASSIAE PRINCIPIS GULIELMI, PHILIPPI PATRIS.

RICIO CORDO SIMESUSIO AUCTORE.

(212 vers)

v.1 Plangite funestis pleni singultibus Hessi,
 2 et madido tristes ore movete sonos.
 3 Ex hilari laetas secludite pectore mentes.
 4 Nullaque ridendo ducite verba joco.
 5 Horreat immundo situs squalore situque,
 6 nec faciat glabras docta novacla genas.
 7 Obtectae lateant frontes, niger adsit amictus,
 8 et quicquid tristis signa doloris habet.
 9 Scilicet immiti correptus funere princeps
 10 occidit et fulgens traxit ab orbe jubar.
 11 Non secus ac torvi subvectus ab ore draconis
 12 sol perit, et medium surripit umbra diem.
 13 Non nova componit dubius mendacia rumor,
 14 qui tulit exsanguem saepius ante metum.
 15 Vera nimis fama est, verae jam credite famae,
 16 hei mihi, quod seram non habet illa fidem.
 17 Cominus atratam video procedere pompam,
 18 qua mixtus dominum defleo et ipse meum.
 19 Longa sacerdotum series, candensque juvenus
 20 tristia funebri carmina voce sonat.
 21 Per medias onerosa gemit libitina plateas,
 22 plumbea conditum lamina claudit onus.
 23 Non cava terribiles diffundunt tympana bombos,
 24 nec gravis inflexo perstrepit aere fragor.
 25 Est procul assueti petulans symphonia cantus,
 26 nec resonas pulsant garrula plectra fides.
 27 Flebilis auditur crebro querimonia luctu,
 28 alta, repercussis planctibus, aura gemit.
 29 Amissum patriae patrem respublica plorat,
 30 patronum queritur pauper inopsque suum.
 31 Troja sic lacerum defleverat Hectora pubes,
 32 taliter Aeacidem Graecia maesta ducem.
 33 Tantus erat Thebae luctus, moriente Polymni
 34 germine, quo cecidit parta stetitque salus.
 35 Ominis infelix, o lamentabilis, o tu,
 36 fellis, et absinthi plena aloesque dies,
 37 talia quae pavido profers spectacula vulgo,
 38 et desolatos tot facis esse viros.
 39 Quis modo nos saevo defendet ab hoste relictos,
 40 si nova quis nostris bella parabit agris ?
 41 Tuta huc usque dabant tranquillam tempora pacem,
 42 et viguit patrii candida fama soli.
 43 Sit licet umbrosis densissima montibus ora,

44 qua multas Cacus posset habere domos.
45 Non tamen ulla malos clausit spelunca latrones,
46 securum carpsit quisque viator iter.
47 Dicite, qui vestras peregrina per oppida merces
48 venditis, et fulvas concumulatis opes.
49 Quando quis Hessiatis vos depopularit in agris ?
50 Tutior in toto non erat orbe locus.
51 Nempe potens rapidos princeps sedare tumultus,
52 inque citam potuit praecipitare fugam,
53 in patrios nullum est passus saevire penates,
54 pro populoque stetit fortis athleta suo.
55 Hoc duce aperta nihil bifrontis limina Jani
56 duximus, et raucas bellica signa tubas.
57 Non fera nos acies, non strictus terruit ensis,
58 nostra Medusaeum signa fuere caput.
59 Scilicet audaces mage sunt in proelia cervi,
60 quos petit horrendo percitus ore leo.
61 Illius hic animum gessit fortissimus heros,
62 et verae quicquid nobilitatis erat.
63 Non nisi quem simili suffultum robore vidit,
64 aggressus, justa strinxerat arma manu.
65 Magna (laccessito sed pectore) bellagerebat,
66 quae nova confecta foedera strage dabant.
67 Quid levis in tantum linter delabatur aequor,
68 quo bene rostratis classibus esset opus ?
69 Non meus alta potest fastigia tangere contus,
70 haec satius luctans flumina remus aget.
71 Det deus ut docti, quos jam tulit Hessia, vates
72 Maeonio celebrent fortia bella pede.
73 Quam valido rapidum trajecit milite Rhenum,
74 totque Palatinis castra locavit agris.
75 Proh nihil haec potuit dominata juvare potestas,
76 quin modo crudelem corrui ante necem.
77 Nullum dedecus est isto cecidisse sub hoste,
78 omnia qui stabili lege animata rapit.
79 Quem neque torquentes liventia pondera fundae,
80 pulsa nec accenso pulvere saxa domant.
81 Cui nihil indutae possunt obstare trilices,
82 quique alias tutum proteggit umbo caput.
83 Nec si Palladia circumdatus aegide pugnes,
84 et fidam Persei falx tibi ferret opem.
85 Nil juvat immanem quae stravit clava leonem,
86 nec qui Stympthalidas contudit arcus aves.
87 Bellica si possent certantes arma tueri,
88 saevaque robustae vincere fata manus.
89 Cum tot ubique viris, quorum memoranda canuntur
90 gesta, per aeternos viveret ille dies.
91 Sed quoniam certis succumbunt omnia fati,
92 non isti potuit non dare colla iugo.
93 Et dedit, et tanto suspiria nulla labore
94 traxit, ut invictum magnanimumque decet.
95 Qui fuit ante animus, summam duravit in horam,
96 namque pudet fortem degenerare virum.
97 Tartareo solita virtute resistitit hosti,
98 infecit nullum livida plaga locum.
99 Nil dubito aetherea quin vivat spiritus arce,

100 alta quidem virtus sed super astra levat.
101 Incluta majestas celsum conscendit Olympum,
102 mansit in hac nobis flebile funus humo.
103 Cui circumfusi meritum impartimur honorem,
104 et damus in celebri digna sepulchra loco.
105 Hic ubi praelabens sacram Lanus alluit aedem,
106 et duo marmorea culmina mole patent.
107 Structaque Phidiaco qua Mausolaea labore
108 condita divigeni stemmatis ossa tegunt.
109 Hocque superpositum signamus carmine marmor,
110 quod leget inscripto posterus orbe nepos.
111 Omnibus insignis virtutibus, optimus heros
112 contegitur princeps hac Guilielmus humo.
113 Quo duce justa Jovis caelestes filia sedes,
114 liquit et humano rursus in orbe fuit.
115 Quae nunc musa dabit tanti mihi carminis orsum,
116 ut valeam questus commemorare graves,
117 quos crebro effundis gemitu maestissima consors,
118 pallida dum cernis conjugis ora tui ?
119 Arguta esset opus cithara, qua Thracius Orpheus
120 Eurydicen flevit sola per arva suam.
121 Quis Cato, quis Marius, tua si lamenta videret
122 a madidis lacrimas temperet ire genis ?
123 Tam gravis anxietas, tantus te pungit amaror,
124 tanta doloroso pectore cura sedet.
125 Ah, tristes video vultus, exhaustaque fletu
126 lumina, non solitus purpurat ora decor.
127 Nulla caput redimit pretiosis mitra lapillis,
128 nec lucent teretes Mentoris arte manus.
129 Tecta latet cervix, quae fulvas ante catenas,
130 et varias Indi culta gerebat opes.
131 Non Tyriam assistens chlamydem cosmata ministrat.
132 Quae viduam deceat, vadis amicta toga.
133 Rorantes admota genas sudaria tergunt,
134 mille plicis lacrimas illa bibere suis.
135 Non adeo ingenti Carum regina dolore
136 ad nigra dilectum est busta secuta virum.
137 Si veteres praesens mores admitteret aevum,
138 tabidaque accensus perderet ossa rogos.
139 Apposita malle cineres absumere calva,
140 et fore paulatim conjugis urna tui.
141 Has tua delicias aetas, haec gaudia carpit.
142 Ah, nimis ante suam est ista querela diem.
143 Est et eo major, quod te ferventior aestus
144 in socium primo junxit amore thorum.
145 Vix modo coepisti divam producere prolem,
146 injecit diras invida Parca manus.
147 Sub verno qualis Pestavum sidere florem
148 falx secat, et viridi lilia sternit humo.
149 Parva voluptatis vidisti tempora, longum
150 quod miseram spatium te cruciavit, erat.
151 Quae tres affecit te sollicitudo per annos,
152 arcanum thalami scit penetrare tui.
153 Nulla quies, nullus tua mulsit pectora ludus,
154 aegrotum donec morbus haberet herum.
155 Quae tulit ille suis confectus stigmata membris,

156 haec etiam cordi fixa fuere tuo.
157 Officiosa gravi comes in languedine semper,
158 ad carum haesisti nocte dieque latus.
159 Incolumem poscens et pristina robora divos.
160 Usque dabas amplam mitis alumna stipem.
161 Te miserae laceros sumentem civis amictus
162 vidimus exuto quaerere templa pede.
163 Relligiosa nihil loca, nil pia dona juvabant,
164 et quas fudisti supplice corde preces.
165 Non minus atra suas jam mors exercuit iras,
166 parcentes nulli sic voluere Deae.
167 Certa quod astra trahunt, quod vult divina potestas,
168 tranquillo patiens pectore ferre stude.
169 Simus in adversa nonnumquam sorte necesse est,
170 melle madent nostrae felleque pensa colus.
171 Cuique suam instabilis miscet fortuna sinapi,
172 et verso tristes adicit orbe vices.
173 Adde quod ex omni te non haec parte reliquit,
174 quo maestum capiat gaudia pectus, habes.
175 Sunt duo namque tibi patrios imitantia vultus
176 pignora de diva nobile stirpe genus.
177 Parvus in augusta tibi ludit filius aula
178 et summi thalamo digna puella Jovis.
179 Qui velut in primo vernantes flore amaranthi,
180 prae se mira ingens indole stemma ferunt.
181 Qui solo tristes aspectu pellere curas,
182 et possent animo gaudia ferre tuo.
183 Tanta decentia inest illis, tam viva venustas,
184 in viridi ridet sic Hyacinthus agro.
185 Hi modo buglossi maestae lenimina mentis
186 dent tibi, et afflictus emoderare tuos.
187 Quid tibi mordacem cupio sedare dolorem,
188 cum nequeam lacrimas ipse tenere meas ?
189 Non possum simili tecum non flere querela,
190 prosilit invitis fervida gutta genis.
191 Ultra hoc, imbibitoque illum amplectebam amore,
192 et mihi dilecti quod vice patris erat.
193 Promissam queror hanc cecidisse in morte salutem,
194 omne meae columen succubuisse spei.
195 Vix modo praesidium de se sperare jubebat,
196 atque suam nobis affore dixit opem,
197 invida ubi irruerent inopino fata furore,
198 moxque ratam in ventos dissoluere fidem.
199 Ergo benigna tui princeps miserere clientis,
200 qui tibi mandanti quodque subibit onus.
201 Proque tuo, ut fas est, nato stabitque cadetque,
202 et fessas umquam non sinet esse fides.
203 Utque mihi sitis faciles mitesque patroni,
204 vos precor insignes nobilitate viri.
205 Quos penes Hessiaci sunt tradita frena leonis,
206 quis moderatrices sors dat habere manus.
207 Jam viduae lapsis patriae succurrite rebus.
208 Ferteque quam supplex turba precatur opem.
209 Nescio quos timeo praesago corde tumultus,
210 fracta procelloso gurgite cymba natat.
211 Ex supero mittat placidam Deus aethere pacem,

tuteturque suum Diva patrona genus.

~~~~~

EURICII CORDI IN NATALEM CHRISTI HYMNUS.

(112 vers)

v.1        Quis nocturna repens astra fugat nitor ?  
 2        Unde illud mediis in tenebris jubar ?  
 3                Summo qualis ab axe,  
 4                claros sol radios jacit ?

5        Quo nam praeveniens ordine Lucifer  
 6        tanto praeproperum lumine fert diem ?  
 7                Ortus numquid Eous ?  
 8                Num Tithonius hic rubor ?

9        Quae symphonia, quae musica, quod melos,  
 10        quis concentus hic, et qui numeri sonant,  
 11                quae vox, quae citharaeque,  
 12                tam dulces recinunt modos ?

13        En sunt angelici, sunt video, chori,  
 14        demissi supero vertice nuntii.  
 15                Quae nam jubila fundunt,  
 16                quae mandataque perferunt ?

17        Quid pastoriciis approperant casis,  
 18        et circumvolitant lanigeros greges ?  
 19                Arrecta aure stupescunt,  
 20                miratique timent viri.

21        Io Io quam bona, quam laetaque nuntia,  
 22        quam jucundaque, quam magnaque gaudia,  
 23                tristi desuper orbi  
 24                hic fert caelituum globus,

25        assertorum hominum, servaque perditum  
 26        rupturum populi vincula vindicem,  
 27                summi viscera patris,  
 28                natum virgine jam deum.

29        Quem repleta sacro pneumate contio  
 30        a tot pollicita est affore saeculis,  
 31                quem captiva vetustas  
 32                clausis poscit ab inferis,

33 hoc signum, lacera non procul in domo  
 34 fetam cum tenera prole puerperam  
 35 istac inveniemus,  
 36 una cum socio viro,  
  
 37 qua Judaea tribus, parvaque civitas,  
 38 assurgens humili culmine Bethleem  
 39 per declive cacumen,  
 40 vicinis patet accolis.  
  
 41 O multis celebrem nominibus locum.  
 42 Hic felix Iacob pavit oves suas,  
 43 hic conjux sua Rachel,  
 44 Jessaeusque cubat cinis.  
  
 45 Hic clarus lyrica rex fide nascitur,  
 46 qui fulvas domuit pastor adhuc jubas,  
 47 immanemque gigantem  
 48 forti fudit humi manu.  
  
 49 At natale solum nunc geniti dei  
 50 cunctis perpetuo tempore finibus,  
 51 excelsam super aethram  
 52 notescit nova gloria.  
  
 53 Heus, nos o properi nos comites viri  
 54 ad tanti patriam ducite filii,  
 55 haec et nostra libido  
 56 ipsam visere Bethleem.  
  
 57 En ut certa fides, veraque ut omnia  
 58 haec est ipsa, papae, mater, et hic puer,  
 59 tectos condite vultus,  
 60 quis tantos radios ferat ?  
  
 61 Sic immixta rosis lilia candicant,  
 62 sic gemmans facies Persidos arboris,  
 63 primo vere renidet,  
 64 sic floret redolens citrus.  
  
 65 Haec tu femina, quam vaticinans deus,  
 66 post jam facta statim sidera, prodidit  
 67 calcati caput anguis  
 68 trituram domino pede ?  
  
 69 Haec tu, quam tot ab hinc enthea saeculis  
 70 praesensere sacro pectora numine,  
 71 praesagaeque Sibyllae,  
 72 nec Phoebi tacuit tripas ?  
  
 73 Haec tu virgo, novos quae reparas dies.  
 74 Tu Jessaea ferens virgula flosculum,  
 75 tu magni Solomonis  
 76 caro dente nitens thronus.  
  
 77 Tu falsis rutilans ignibus es rubus,

78 tu sicco madidum vellus es in solo,  
79 tu monstrosus Aaron  
80 natis stipes amygdalis ?

81 Haec tu porta manens clausa perenniter,  
82 tu signatus es is fons vitreis aquis,  
83 tu non pervius hortus,  
84 et qui sunt reliqui typis

85 Salve, salve iterum sancta dei parens.  
86 Salve jam posita candidior nive,  
87 formosissima virgo,  
88 et pulcherrime tu puer.

89 O immensa nimis, miraue caritas,  
90 quae felice tui te patris e sinu,  
91 summa traxit ab arce  
92 in tristis lacrimas soli,

93 et rerum dominum compulit omnium,  
94 propter foeda levis crimina servuli,  
95 hunc assumere limum,  
96 et taetrum chaos ingredi.

97 Tantae molis erat, tantus erat labor  
98 amissae miseros reddere gratiae ?  
99 An tanti fuit umquam  
100 humanum superis genus ?

101 En quem siderei non capiunt poli,  
102 qui quassum tonitru concutit aethera,  
103 in praesepe locatus,  
104 infans vagit homuncio.

105 Qui se cuncta replens condita sustinet,  
106 per quem ne gracilis musca quidem famet.  
107 Parvo lacte fovetur,  
108 materni indigus uberis.

109 Nunc, o sancte puer, maxime parvule,  
110 omnes unanimi te prece poscimus,  
111 placato bonus ore  
112 arride famulis tuis.